ADDITAMENTA

CODICI MEDICAMENTARIO

PARMENSI

ADDITAMENTA CODICI MEDICAMENTARIO PARMENSI

PARMAE

E DUCALI TIPOGRAPHAEO

MDCCCXXVII.

NOI MARIA LUIGIA

PRINCIPESSA IMPERIALE

ED ARCIDUCHESSA D'AUSTRIA

PER LA GRAZIA DI DIO

DUCHESSA

DI PARMA, PIACENZA E GUASTALLA

ECC. ECC. ECC.

Abbiamo risoluto quanto segue:

1.° L'Appendice al Formolario Farmaceutico distesa per Nostro Ordine e che porta il titolo *Additamenta Codici Medicamentario Parmensi* sarà stampata e posta in esecuzione dal dì d'oggi, e sarà considerata far parte integrale del Formolario Farmaceutico in vigore ne' Nostri Stati per le disposizioni del Nostro Decreto dato a Parma il dì 26 Dicembre 1824.

2.° Il Nostro Presidente dell' Interno è incaricato dell' eseguimento della presente Nostra Sovrana Risoluzione.

Dato a Parma il 7 Aprile 1827.

MARIA LUIGIA.

Per espresso e supremo ordine di S. M.

Il Presidente dell' Interno

Barone Commend. F. CORNACCHIA.

PRIORI PARTI

ADDENDA

Nomina officinalia	*Nomina systematica*
Borussias Potassae, et Ferri	Cyanuretum potassii, et ferri, vel Ferrocyanas potassae
Coeruleum berolinense	Cyanuretum Ferri
Jodium	Jodium

PARTI ALTERAE

ADDENDA

Morphium seu Morphina

℞. Opii thebaici subtiliter incisi *Libram unam*
Aquae communis . . . . *Libras tres*

Macera per quatriduum, dein cola, filtra, et liquori trajecto adde,

Magnesiae purae, sive causticae . . . . *Drachmas quatuor.*

Omnia per horae quadrantem simul ebulliant. Subsidentiam voluminosam cinerei fere coloris inde enatam supra filtrum conjice, aqua frigida ablue, donec ipsa nullum colorem amplius praeseferat. Quod in filtro superest, ablutum, fac ut probe siccescat. In vitreum dein matracium immitte, cui sufficientem quantitatem alcoholis graduum viginti Areometri Baumei affunde, et calore centigraduum sexaginta circiter digere, donec subsidentia decolor evadat. Per filtrum trajice, et quod in filtro remanet, novo alcohole frigido ablue usque dum coloris expers defluat. Subsidentiam hanc postremam in matracium immitte, cui tres vel quatuor alcoholis partes graduum triginta sex affunde; per aliquot

minuta ebullitioni subjice. Liquorem dein adhuc fervidum per filtrum trajice, qui frigescendo Morphinae cristallos aliquantisper colore infectas demittet. Ebullitiones cum ejusdem gradus alcohole repete, liquores ferventes singulis vicibus filtra, qui frigescentes novas Morphinae doses deponent. (Morphina hac ratione confecta ad ejus acetatem, vel sulphatem parandum utiliter adhibetur.)

Ut Morphina perfecte alba, atque tunc purissima habeatur, crystallos alcohole fervido obtentas una, aut duabus vicibus denuo solve, et liquoribus ebullientibus per filtrum trajectis, aquas alcoholicas superstites simul collectas evaporationi committe, quae novam Morphinae dosim suppeditabunt, in qua, tamen, ut plurimum, aliquid narcotinae inest.

Acetas Morphinae

℞. Morphinae non omnino depuratae. *Quantum vis*
(vide morphinam)
Aquae stillatitiae duplex pondus Morphinae.

In vitreo mortario simul misce; dein acidum aceticum concentratum superaffunde, donec liquor *Laccamuffae* tincturam aliquantisper rubescentem reddat. Liquorem igni subjice, et in ipsum parum Carbonis animalis aceto stillatitio primum bene abluti conjice, soepeque agitando per diem integrum tali modo detine. Calefactum liquorem per filtrum trajice, et in capsula vitrea, vel porcellanea positum ad

syrupi consistentiam evapora. Postremo, aut in Hipocausto ad crystallisationem, aut ad siccitatem redige.

Salem obtentum in vase crystallino epistomio munito serva.

Nota: Si loco Acidi acetici Acidum sulphuricum cum dupla sui ponderis aquae stillatitiae quantitate dilutum, et frigefactum adhibueris, sulphatem Morphinae obtinebis.

Acidum Hydrocyanicum juxta methodum Gay-Lussac: alias Acidum Borussicum

℞. Cyanureti Mercurii in pulverem redacti . . . . *Drachmas quatuor.*

In parvam retortam tubulatam immitte, quam in balneo cineris locabis. Ejus collo ampliorem tubum apta, in quo unciam semis Chlorureti Calcii fusi in frustula redacti, et Carbonatis calcis ruditer comminuti unciam semis antea posueris. Ejusdem tubi parti alterae syphonem curvum vitreum ita accomoda, ut rectum angulum efformet, quique cum parva lagena communicet, quae glaciei contritae, et salis communis mixtionem circumpositam habeat. Conjuncturis rite clausis, per retortae tubum demitte.

Acidi Hydrochlorici . . . . *Unciam unam.*

Retortae tubum diligenter claude , ignem admove, per gradus intende, et perge donec secus ejusdem collum insignes aquae guttae appareant: tunc carbonibus accensis nonnullis admotis, fac ut tubus

Chlorutetum Calcii continens, nec non Carbonatem calcis incalescat. Postea a mixtura frigorifera lagenam remove.

Liquidum graviter olens, et suffucationem minitans, quodquod in ipsa continetur, in parvo crystallino vase claude, et in loco obscuro, et, quantum fieri potest, frigido serva.

Nota: Hujusmodi acidum cum facile decomponatur, tunc, cum a medicis praescribitur, parari debet. Antequam praescripta dosis adhibeatur, tenendum est ejus pondus cum aquae pondere novies dilutum fuisse.

Acidum Hydrocyanicum Alcoholicum

℞. Cyanureti Potassii et Ferri,
Ferro-Cyanatis Potassae nonnullorum,
alias Borussiatis Potassae et Ferri *Uncias duas.*

In mortario vitreo pone, et aquae communis unciis octo solve. Interea in matracium vitreum infunde.

Alchoolis graduum triginta, *Uncias sex*
Acidi sulphurici concentrati *Unciam unam, et semis.*

Postremam hanc mixtionem frigefactam Cyanureti Potassii et Ferri solutioni in matracio positae affunde, eamque matracio bene occluso soepe agitando per diem integrum retine. Liquorem postea limpidum decanta, et in parvam retortam *tubulatam* in maris balneo locatam transfunde, cui primum parvum excipulum aptaveris, juncturasque rite clau-

seris. Circa excipulum glaciem pone, frigidumque serva, donec operationem confeceris. Ignem balneo maris suppone, in quo retorta, ipsumque ita adhibe, ut distillatio lentissime progrediatur. Statim ac quinque liquoris unciae, et parum amplius in excipulum defluxerint, ignem suspende, et liquidum in ipso contentum in parvis crystallinis vasibus claude, et in loco frigido, et, quantum obtineri potest, obscuro serva.

Cyanuretum Potassii

℞. Cyanureti Potassii, et Ferri . . . . *Uncias tres.*

In crucibulo argenteo fac ut candescat. Fusione rite peracta supra lapidem expolitum conjice, et cum friguerit, in mortario vitreo in pulverem redige; triplo sui ponderis aquae stillatitiae frigidae solve, per chartam trajice. Dein solutionem limpidam ac decolorem statim in capsula porcellanea pone, et spathula argentea agitando, ad siccitatem redige. Cyanuretum obtentum in vase crystallino serva.

Cyanuretum Hydrargyri, alias Prussias Mercurii

℞. Cyanureti Ferri, vulgo Coeruleum Berolinense . . . . . . *Uncias duas*
Deutoxydi Hydrargyri, vulgo Praecipitati rubri. . . . . . . *Unciam unam*
Aquae stillatitiae . . . . *Uncias duodecim.*

Cyanuretum Ferri, et Deutoxydum Hydrargyri seorsim in mortario vitreo in pulverem redacta in vas fictile vitriatum immitte, quibus aquam stillatitiam praescriptam affunde. Igni ad ebullitionem usque subjice, et spathula ferrea mixturam saepe agita, donec ejus color coeruleus in subviridem flavescentem mutetur; per chartam emporeticam trajice, dein materiem superstitem.

Aquae stillatitiae ebullientis unciis duabus elue, et liquores commixtos evaporationi submitte, usquedum *pellicula* supernatet. Crystallos hinc enatas collige; saepe aqua stillatitia solve; aquam novae evaporationi committe ad novas crystallos colligendas, quas bene siccatas in vase rite clauso, et luci impervio serva.

Acidum Hydrijodicum

℞. Jodii quantum vis.
 Alcoholis graduum viginti sex. q. s. ad perfectam saturationem.

Solutionem in lagenam duplici instructam collo infunde. Primo ejusdem collo *tubulatam* retortam rite apta, in qua Sulphureti Antimonii in pulverem conversi sufficientem quantitatem prius collocaveris; altero curvum vitreum syphonem ita accomoda, ut solutioni Jodii extremum ejus osculum immergatur ad acidum Hydrosulphuricum, si forte Jodii vim effugerit, absorbendum. Hisce peractis, et vasorum conjuncturis occlusis, per retortae tubum acidum

Hydrochloricum demitte, et epistomio claude, ut gas Hydrosulphuricum, quod tunc erumpit, solutionem Jodii alcoholicam necessario permeare possit. Statim ac liquor pelluciditatem amiserit, gassis acidi Hydrochlorici actionem, novas acidi Hydrosulphurici partes per retortae tubum immittendo promove, donec liquor amylo aqua incocto, et diluto nullum colorem coeruleum referat. Tunc liquorem filtra, in capsula porcellanea pone, et lento igne tamdiu evapora, quamdiu acidi sulphurici graveolentia omnino cesset.

Si inter evaporandum liquor turbidus evadat, iterum filtra, et in capsula porcellanea evaporationem itera, donec olei spissitudinem assequatur. Acidum Hydrijodicum confectum in vase probe clauso, et in loco obscuro serva.

Hydrijodas Potassae

℞. Aquae stillatitiae circiter . . . . *Libram unam*
Limaturae Ferri puri. . . . . . . *Q. s. et ultra*
Jodii . . . . *Quantum libet.*

In matracium aquam, limaturam Ferri, et Jodium immitte. Limaturae caute Jodium identidem affunde, ne nimio calore, ob praecipitem aquae decompositionem, evoluto matracium difringatur. Per horas viginti quatuor mixturam leni calori submitte; dein solutionem decanta, quae Hydrijodatem ferri Joduratum exhibebit. Postea in matracium conjice; lenissimo calori subjice, donec solutio, quae prius

subobscure flavescebat, decolor, et limpida fiat. Si forte, solutione calescente, Jodii vapores violacei erumpant, tunc Ferri limaturam ad evolutionem coercendam superadde. Solutionem fere limpidam, et decolorem Hydrijodatis Ferri hac ratione obtentam subcarbonate Potassae depurato tractabis, donec praecipitatio omnino cessaverit.

Diligenter praecipitatum filtro secretum sepone, et liquorem obtentum, sive Hidrijodatem potassae lente evapora, donec siccescat.

Nota: Cum Hydrijodas potassae diuturnitate colorem immutet, ac decomponatur, necesse est, ut in officinis modica tantum ejus quantitas conficiatur.

Hydrijodas Joduratus Potassae

℞. Hydrijodatis potassae . . . *Partes duas*
Jodii probe exsiccati . . . *Partem unam*
Aquae stillatitiae . . . . . *Partes viginti septem.*

℞. Hydrijodatem et Jodium in mortario vitreo tere, donec rubescant. Pauxillo dein aquae perfecte primum solve, dein cum reliqua aqua dilue.

Solutionem in vase crystallino bene obturato serva, et in loco luci impervio.

Pomata cum Hydrijodate Potassae

℞. Hydrijodatis potassae . . . . . . *Partem unam*
Axungiae purae recentis . . . . *Partes triginta.*

In mortario vitreo salem cum modica axungiae quantitate primum tere, dein cum reliqua misce ad Pomatam conficiendam.

Pomata cum Jodio

℞. Jodii puri . . . . *Partem unam*
Axungiae purae . . . *Partes sexaginta quatuor.*

In mortario vitreo Jodium cum parva axungiae quantitate tere: paulatim dein cum reliqua misce ad pomatam obtinendam.

Nota: Cum adeps, si parum rancescat, post paucas horas Hydrijodatem potassae, tametsi bene confectum, in Hydrijodatem Joduratum convertat, et tunc pomata flavescat, sic ad ipsam rite parandam necesse est, ut recentissimus adeps adhibeatur, atque etiam ex tempore conficiatur.

Jodas Potassae

℞. Jodii . . . . *Quantum vis*
Hydratis Deutoxydi Potassii puri . *Quantum satis.*

Jodium in matracium vitreum conjice, et potassam aquae stillatitiae ope solutam eidem identidem affunde usque ad saturationem, donec nullum praecipitatum appareat. Dein quod in matracio inest, in capsulam porcellaneam immitte, et lento igne cura ut siccescat. Hujusmodi salem Jodate, et Hydrijodate potassae constantem vini alcohole graduum 45 areometri Baumei bis ablue, ut Hydrijo-

date potassae liberetur. Jodatem postea potassae superstitem aqua solve, et aceto stillatitio alkali excessum satura. Solutionem iterum evapora; saepius alcohole vini graduum 45 ablue usque dum Jodatis potassae purae crystalli albae granuliformes effingantur, quas probe siccatas in vase serva.

Hydras Deutoxydi Potassii

℞. Hydratis Deutoxydi Potassii impuri et liquidi . . . . *Quantum libet.*

In vase ferreo caloris ope liquidum spathula ferrea saepe agitando ad densi syrupi consistentiam evapora. Dein in vas vitreum longum, angustumque immitte, cui eam alcoholis vini graduum 36 Baumei quantitatem affunde, quae ter ejus pondus superet. Vase rite clauso, mixtum agitando in loco, cujus temperies sit graduum sexdecim circiter, per horam detine. Postea vas in loco magis frigido pone. Mixtione per viginti quatuor horas quiescente, subsident Carbonas Deutoxydi, nec non Nitras, et Tartras contenti in Carbonate adhibito ad Deutoxydum obtinendum. Tunc limpidam et subrubram alcoholis partem, quae Deutoxydum continet, vasi crystallino infunde, quod probe claudes. Parti in vase superstiti duas alcoholis partes iterum affunde, et infusione iterata, quietique relicta, quod limpidum est, et subrubrum secerne.

Utramque alcoholicam infusionem simul mixtam in retortam vitream sine mora conjice, aptoque

excipulo balnei maris ope alcoholem distilla; donec tres adhibiti quadrantes obtinueris.

Deutoxydum Potassii in alcohole tenui solutum, quodque in retorta continetur, in capsula porcellanea prompte evapora, donec fusio placide absolvatur. Tunc supra laminam aheneam stanno obductam projice, atque in frustula comminatum in vase ermetice clauso serva.

Emetina

℞. Ipecacuanhae cinereae in pulverem redactae . . . . *Quantum libet*
Aquae stillatitiae. . . . . *Quantum satis.*

In vas terreum vitriatum aquam continens Ipecacuanham immitte; calori graduum viginti, saepe agitando per viginti quatuor horas submitte; dein liquorem limpidum per filtrum trajice, terque eadem methodo, et eadem aquae quantitate reliquum Ipecacuanhae infunde.

Infusiones simul junctas balnei maris ope ad extracti liquidi consistentiam evapora: et acidum Ipecacuanha contentum magnesia pura, et quae excedat, satura, dein calorem balnei maris urge ad extracti siccitatem obtinendam. Postea in mortario marmoreo extractum in subtilem pulverem redige, dein in vitreum matracium immitte, et sufficientem alcoholis vini quantitatem *graduum* 40 Baumei superaffunde. Tunc ignem intende ad ebullitionem

usque mixturam agitando, per filtrum trajice, et quod remanet quater eadem methodo digere.

In vitream retortam tincturas alcoholicas immitte; aptoque excipulo alcoholis distillationem institue donec duas tertias alcoholis adhibiti partes obtineas. Quod superest in capsula porcellanea pone, et leni calore exsicca; in matracium denuo conjice, et sufficienti aetheris quantitate *graduum* 60 Baumei digere, terque digestionem, novo addito aethere, repete. Emetinam hoc modo parte pingui liberatam, et odoris expertem alcohole ebullienti iterum solve, et carbonis animalis ope eidem *partem colorantem* adime. Postremo filtra; alcoholem lentae evaporationi committe ad Emetinam sub squammarum lucidarum forma obtinendam.

Strychnina

℞. Nucis vomicae in pulverem redactae *Libras tres*
Aquae fontis . . . . *Libras triginta*
Acidi sulphurici venalis . . . . . . *Uncias tres.*

Vasi aheneo stanno obducto aquam, et acidum sulphuricum infunde; dein Nucem vomicam immitte, et per horam ebullitioni subjice: liquidum per telam trajice; quod superstes ter eadem methodo, eademque tum aquae, tum acidi quantitate ebullitioni committe. Decoctiones collectas ad syrupi liquidi consistentiam evapora, spathula lignea sub extremum agitando. Frigefacto calcem in subtilem pollinem tritam paulatim adde q. s. et ultra. Postea

probe siccatam in pulverem redige. Calcis et Strychninae praecipitatum ita obtentum in cucurbitam stanneam injice, in qua sufficientem alcoholis vini quantitatem *graduum* 37 posueris. Balnei maris calore per horae dimidium digere, et dein filtra: quod in filtro superest novis alcoholicis digestionibus ter digere, et per filtrum trajice. Solutiones alcoholicas coactas, atque in balneo maris positas distilla usquedum alcohol defluat. Liquidum flavescens, turbidum, vehementer amarum, atque alkalinum, Strichninam, et materiem colorantem oleosam continens, sepone. In capsulam porcellaneam dein aquam stillatitiam immitte, quam acido nitrico acidulam reddes. Postquam leniter incaluerit liquidum alkalinum sepositum identidem affunde, acidumque satura, donec charta probatoria non amplius rubescat.

Tunc liquidum decanta, et perge donec Strychnina supersit ad acidum saturandum. Solutiones iterum collectas tribus carbonis animalis drachmis superimpositis, in capsula lege artis evapora. Postea filtra, et in loco frigido pone ad crystallos obtinendas. Aquam superstitem, carbone filtro insidente commixtam denuo evapora, et filtra ad novum nitratem colligendum, extremis aquae partibus relictis.

Nitratis Strychninae crystallos iterum in viginti quatuor earum ponderis aquae stillatitiae in capsula porcellanea ebullitioni committe, eam carbonis animalis quantitatem addendo, quae tertiae ejusdem Nitratis parti respondeat. Filtratione peracta et frigescentia secuta, novae crystalli obtinentur. Li-

quidum superstes, si novae evaporationi commiseris, extremas Nitratis Strychninae partes suppeditabit.

Postremo aqua stillatitia crystallos albissimos obtentas solve, et ammoniacae liquidae ope *graduum* 15 Strychninam praecipita, quam liquido privatam et pauxillo aquae stillatitiae lotam ad siccitatem redige, et in vase probe clauso serva.

Extractum alcoholicum Nucis vomicae

℞. Nucis vomicae rasae . . . . *Uncias sex*
Alcoholis . . . . *Quantum vis.*

In vitreum matracium Nucem vomicam immitte, cui superaffunde

Alcoholis *graduum* 36 . . . . *Libras duas*

Digere per triduum in loco, cujus temperies sit graduum viginti, et saepe mixtum agita. Postea decanta, novum alcoholem infunde, et digestiones itera donec alcohol amari saporis expers sit; identidem matracium agita, dein cola cum expressione. Tincturas alcoholicas conjunctas per chartam trajice. Retortae ope alcoholem adhibitum distilla donec ejusdem tres quadrantes supersint. Quod in retorta superest in capsula porcellanea pone, et Balnei maris ope ad siccitatem usque evapora. Extractum Nucis vomicae obtentum in vase rite clauso ad usum serva.

Extractum Opii sine Narcotina

℞. Opii thebaici . . . . *Uncias sex*
Aquae stillatitiae . . . . *Libras quinque*

Opium in parvula frustula divisum per horas viginti quatuor in aqua frigida stillatitia macera, frequenter agita, et dein cum expressione cola. Postea, additis tribus aquae stillatitiae libris, eandem macerationem itera, et denuo cola. Infusiones simul mixtas per chartam trajice, et in vase porcellaneo ad densi syrupi consistentiam evapora. Syrupum apto in vase locatum saepe agitando, sufficienti aetheris quantitate pertracta ad narcotinam facilius solvendam; tincturam aetheream decanta; retortae infunde, et balnei maris ope distilla ad aetherem adhibitum subthraendum. Operationem repete donec opii solutio nihil amplius narcotinae retineat, atque aetheris ope nullae amplius crystalli appareant. Actione aetheris sic absoluta, opii solutionem balneo maris ad extracti spissitudinem evapora.

Basetti Carolus Antonius *ex Protomedicati Consilio.*

Carboni Cajetanus *Medicinae Doctor in Protomedicato Substitutus.*

Nicolaus Morigi *Chirurgiae Clinices Superioris Professor, Inspector Generalis Nosocomiorum ex Protomedicati Consilio.*

Iohannes Baptista Guidotti, *in Ducali Universitate Chymiae et Naturalis Historiae Professor, ejusdem Musaei Rector.*

Hyeronimus Gottardi *in Ducali Universitate Pharmaciae Professor ex Protomedicati Consilio.*

Aloysius Mazza *Pharmaciae Magister ex Protomedicati Consilio.*

Iacobus Toschi *in D. Universitate Materiae Medicae, et Therapiae generalis Professor.*

Franciscus Lorenzini *Chirurgiae Magister.*

Carolus Saglia *Pharmaciae Magister.*

Andreas Rasori *Magni Nosocomii Parmensis Medicus, et Depositi Vaccinii Rector.*

Ioseph Basili *Magni Nosocomii Parmensis Medicus Primarius, et in Ducali Parmensi Universitate Clinices Medicae Professor Substitutus.*

Aloysius Fragni
in D. Parm. Universitate Pathologiae Professor, Musaei Pathologici Rector pro Protomedico.

Hubertus Bettoli
Medicinae Doctor a Secretis.

Per fede d'identità della presente Appendice al Formolario Farmaceutico attualmente in vigore, approvata da S. M. per Sovrana Risoluzione del 7 Aprile 1827.

Parma 20 Aprile 1827.

Il Presidente dell' Interno

Barone Commendatore F. CORNACCHIA.

Pretium . . . . Cent. 50.